Edit. I pag. tutum vsque ad Pentecoſten anni MCCCCLXXXII extendit; hac adiecta denuntiatione, quod ſi quis intra hoc ſpatium imperata haud fecerit, tum ædes areasque fiſco addictum iri.

forum legibus munit. 8) Ceterum, vt tribunal ciuitatis ad iuſtitiæ & æquitatis flecteret habenas, monitis illud conſiliisque ſalubribus temperauit, ac eodem hoc anno leges etiam quasdam promulgauit, a Iudicibus in poſterum obſeruandas.

Biſchofsheimum reluit 9) Quemadmodum vero omne eo conuertebat ſtudium, vt loca Archiepiſcopatus ad alienos dominos olim dilapſa reciperaret, ita anno MCCCCLXXXII oppidum *Biſchofsheim*, cum locis contributis, quod Adolfus, cum ab *Henrico* Adiutore dimiſſum eſſet, Comiti Rieneccenſi pignoris dederat loco, præſenti reluit pecunia, miſſis die Martis poſt dominicam *Reminiſcere* dictam fratre *Ioanne*, *Volperto* de *Schvvalbach*, *Ebaldo Faulhaber*, *Ebaldo VVymar*, & *Conrado Volprecht*, qui ciues, incolasque præfecturæ iſti adſcriptos denuo in fidem reciperent.

V Opera docti piique viri, quem ſequentibus verbis in catalogo ſuo deſcripſit *Trithemius*, multum vſus eſt: *Ioannes*, inquit, *de Lutra villula, dictus de Lutrea, vir in diuinis Scripturis ſtudioſus, & eruditus, & in philoſophia ſcholaſtica egregie doctus, ingenio ſubtilis, ſermone compoſitus, vita & conuerſatione honeſtus & ſingulariter deuotus, amator virtutum, hoſtis vitiorum, fortiſſimus auaritiæ contemptor, qui pluralitatem beneficiorum abhorruit, titulum Epiſcopatus ſibi oblatum ſpreuit, qui primum in Gymnaſio Erfordienſi Theologiam multis annis glorioſe docuit, & poſtea in eccleſia Moguntina prædicatoris officium ſtrenue geſſit. Scripſit ſuper ſententias lib. IV. Quæſtiones quoque varias, ſermones de tempore & de Sanctis lib. II. Et quædam alia nobis incognita. Moritur ſub Frederico Imperatore III, & Sixto Papa IV, anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo nono, indictione XII.*

VI Tandem vero cum ſecundum electus ſuo annos VI, menſes VII, dies XXI bene perfunctus eſſet munere Dietherus, dyſenteria extinctus eſt Aſchaffenburgi anno MCCCCLXXXII, die VII Maii, cum prius, de Capituli partis maioris conſenſu, a Pontifice Sixto impetraſſet, vt egregiæ indolis adoleſcens *Albertus*, annos natus XVII, Saxoniæ ac Miſniæ Ducis *Erneſti* filius, Canonicus Moguntinus, fieret Adminiſtrator, poſtea ſucceſſor. Moguntiam vero pompa funebri adductus, hoc, in principe templo, habet epitaphium:

878

*Bis Præſul factus Comes Eyſenberg * Dietherus,* * l. Iſenburgk
Moguntinam arcem ſtruxerat atque ſcholam.
Hoc voluit tumulo corpus condi miſerandum,
Ciuibus æthereis dans animamque Deo.

iuſta funeris ſui procurat. Vt ædis maioris Canonici ſibi poſt obitum ſollemni parentarent cæremonia, & gratam quotannis nominis ſui memoriam peragerent, moriens curauit, vt iis quadringenti numerarentur floreni, quos etiam Iouis poſt Aegidii *Chriſtianus Gans*, Præpoſitus Moxſtadenſis ac Sigilliſer Moguntinus, eisdem exſoluit.

Similiter anno MCCCCLXV, Mercurii poſt ſollemne B. Virginis in vtero conceptæ, animæ cum ſuæ tum parentum ſuorum ac maiorum expiandæ, Miſſam inſtituit, in arce Hochſtana quotidie in honorem D. Barbaræ legendam.

Lector beneuolus ἁμάρτημα, quod nobis ſupra p. 771 in ſchemate Dietheri geneatchico lit. i) obrepſit, corrigat, & pro verbis, *eandemque* Comitem *dicat* Naſſouiæ, legat velim; *eandemque* Comitem *dicat* Catimelibocenſem.

ALBERTVS I,
ab aliis
ADELBERTVS III.

I

FActum in hoc, quod ſupra petiiſſe Dietherum, qui eum liberaliter educarat, narraui. & Aſchaffenburgo Moguntiam veniens, ad ſolitum fidei ſacramentum ciues ilico vocauit die VIII Maii. *Albertus*

ſtirpe fuit Dux Saxoniæ; 1) Fuit *Albertus*, vt ſub finem Dietheri iam dictum, filius *Erneſti*, Ducis Saxoniæ, Principis Electoris, & *Eliſabethæ* Bauariæ; frater, quod addendum, *Friderici*, cognomine *Sapientis* appellati, *Ioannis*, cognomento *Conſtantis*, Electorum, & *Erneſti*, Archiepiſcopi Magdeburgenſis. Schema id docet ſequens.

Edit. I p. 878

Fridericus *Strenuus*,
Landgrauius Thuringiæ, Marchio Miſniæ,
n. 1331, 6 Octobr. † 1380, 26 Maii.
vx. *Catharina*, f. *Henrici* Hennebergenſ.
† 1397, 15 Iul.

Fridericus *Bellicoſus*,
Dux Saxoniæ, Princeps Elector.
† 1428, Non. Ianuar.
vx. *Catharina*, f. *Henrici* Ducis Brunſu. & Lüneb.
† 1442.

Fridericus *Placidus*,
n. 24 Aug. 1412, † 7 Sept. 1464.
vx. *Margareta*, f. *Erneſti* Ferrei, Ducis Auſtriæ,
d. 23 Iun. 1432, † 12 Febr. 1486.

Erneſtus,
n. 25 Mart. 1441, † 1486, 26 Aug.
vx. *Eliſabetha*, f. *Alberti III*, Ducis Bauariæ,
† 1484, 5 Martii.

Fridericus *Sapiens*, *Elector.* — ALBERTVS, *Adminiſtrator Moguntinus*, n. 1464, † 1484. — Erneſtus, *Archiep. Magdeburg. Epiſcop. Halberſtad.* — Ioannes *Conſtans*, *Elector.*

Canonicus Moguntinꝰ factus,

2) Virtutis, indolisque cum eſſet probatæ, tener adhuc Moguntiæ ad cleri principalis cœtum adſcriptus, tam Diethero ipſi, quam Collegio omnium maxime idoneus viſus eſt, qui quamprimum rebus gerendis admoueretur. accedebant domus Saxonicæ tum opes, tum neceſſitudines, ad eccleſiam Moguntinenſem è ſuperiorum temporum caligine in lucem, veteremque dignitatem vindicandam haud leue pondus allaturæ. Cum igitur Erfurti tum temporis & in Eichsfeldia res non prorſus eſſent quietæ, Dietherus eum anno MCCCCLXXIX, Lunæ poſt almam Pentecoſtes, *Prouiſorem* conſtituit Erfurtenſem; die vero Mercurii poſt D. Seueri memoriam & caſtri Ruſtenbergenſis & totius tractus Eichsfeldenſis *Præfectum* ſupremum; vti quidem in antecedentibus iam notatum. Quod dum repeto, non poſſum, quin adiiciam, quem ſibi, Prouiſor & Præfectus horum locorum factus, circumpoſuerit titulum. Sic autem in tabulis quibusdam, Moguntiæ anno MCCCCLXXX, die Saturni poſt feſtum diuiſionis, vt vocant, Apoſtolorum confectis: *VVihr* Albrecht *von Gots gnaden Herzog zu Sachſen, Landgrave in Doringen vnd Marggrave zu Miſſen*, Dhumher zu Menze, Proviſor zu Erfort *vnd* Amptman zu Ruſtenberg.

matura ſit Prouiſor Erfurti, & Præfectus Eichsfeldiæ.

Mox a Pontifice deſignatur Conſeruator Archiepiſcopatus, & futurus Adminiſtrator.

3) Sedenim conatibus Schvvarzburgici, aliorumque ita repreſſis, Diethero æque ac Collegio principi viſum, omnium rerum cum imperio agendarum ipſum facere participem. Miſſis igitur Romam legatis, rem eo deduxere, vt Sixtus IV P. M. litteris anno ſequenti MCCCCLXXX, pridie Id. Ianuar. datis eum, quamdiu Dietherus vitam in humanis duceret, eccleſiæ Moguntinæ tam in ſpiritualibus quam temporalibus deſignaret Conſeruatorem; Adminiſtratorem futurum, ſi Dietherus vel regimine ſe abdicaret, vel vita defunctus vacuam relinqueret cathedram, vsque dum ſeptimum & viceſimum ætatis annum attigerit; ſimul ac vero illum attigiſſet, dictæ eccleſiæ cum plena poteſtate Archiepiſcopum. Tabulas ipſas leges in codice Diplomatico.

ac Archiepiſcopus.

4) Nec infeliciter cecidit, quicquid id fuit conſilii. Erneſtus enim, Alberti patet, eodem hoc anno pecuniam, ad præfecturas Algesheimenſem & Ameneburgenſem pignoribus eximendas, iis conditionibus, de quibus ſupra actum, explicabat. Qua cum Dietherus eas recuperaſſet, Albertum in illarum adminiſtrationem immiſit.

Inde conſequitur præfecturarum Algesheim & Ameneburg adminiſtrationẽ.

5) Diethero mortuo Archiepiſcopatus regimen non ſine multa Cleri, populique gratulatione adiit. ante annos enim animum, cu rasque viriles gerebat. Teſtatum id facit, quem auctor § III affert, λόγος ἐπιτάφιος; præter quem *Trithemius* etiam in chron. Hirſaug. ad an. MCCCCLXXXII p. 514 ait; *poſt cuius* (Dietheri) *obitum* Albertus, *Erneſti Saxonum Ducis filius, annum agens ætatis XVIII, per Capitulum in Adminiſtratorem eccleſiæ Moguntinæ adſumitur, & cum fauore non paruo multorum a Sixto Pontifice IV confirmatur.* A Collegio principe Adminiſtratoris loco, tituloque tum ſollemni cæremonia adſumtum fuiſſe, vere narrat. Sic enim Decanus & Canonici in litteris, de quibus ſtatim, diſerte: *Demnach vvir den genanten — Hern* Albrechten *Adminiſtrator, vormals als Conſeruator, vnd izt, als der gemelt vnſer Her Erzbiſchoff Diether ſeliger todes abgangen iſt, zum Adminiſtrator vnd zukünfftigen Erzbiſchove vffgenommen vnd mit lobgeſang erhaben, ingeſezt vnd empfangen haben.* A Sixto tamen non tum demum, vt innuere videtur *Trithemius*, ſed ante iam deſignatum, confirmatumque fuiſſe, ex dictis liquet.

Diethero omnium eũ applauſu ſuccedit.

6) Summæ rerum impoſitum Decanus ceterique

ad regimtu

adſumtus Sedi ſubiectis denuntiatur.

terique ædis maximæ ſacerdotes tum litteris, Martis poſt dominicam *Cantate* ad Præfectos prouinciarum ac Sedis Beneficiarios ſiue Vaſallos, ſigillatim ciuitatem Moguntiam ac tractus Rhingauienſis incolas, ſequenti vero die ad reliquas Archiepiſcopatus ciui-

V. cod. Dipl.

tates & præfecturas datis, tum miſſis e gremio ſuo quatuor ſpectata auctoritate Canonicis, non denuntiarunt ſolum, verum etiam iuſſere, vt ei iuſtos obſequii, imperiique titulos, ſacramento de more interpoſito, deferrent. Contulit autem ſeſe in Rhingauiam, ad homagium a populo accipiendum, die, quem dixi, poſt dominicam *Cantate* ſecundo; ad loca vero in ſuperioribus Archiepiſcopatus partibus, ſequenti.

inſidiis appetitur

7) Vix autem ſedem inierat, quam impiis petebatur inſidiis. Indiciis enim pateſactus fuit ac comprehenſus improbæ quidam emiſſarius factionis, *Ludouicus* vel, quod ab initio nomen edidit, *Carolus Bonnigke*, *Georgio* de *Bonnigke*, qui Tobervvizii ſedem habebat,

machinationibus Erfurtenſium.

extra coniugium natus. Is enim Aſchaffenburgi dominica, qua vocem Iucunditatis eccleſia edit, confeſſus eſt, a *Ioanne Bock*, *Nicolao Brambach*, & *Nicolao Bramen*, ciuibus Erfurtenſibus, promiſſa mercede ſe conductum, vt Moguntiam ſeſe conferret, ac ſi comperiret, Archiepiſcopum fatis functum, id quantocius per fidos homines renuntiaret: accepturum tum octodecim aureos. Vti vero hoc facilius alios falleret, habitum aulicis Saxonicis vſitatum indueret, & omnes conſequeretur vias, quibus in regiam Alberti ſe peruenire poſſe putaret: pecuniam ad veſtes, loricam, arma, aliaque coemenda ſe miſſuros: aditu in aulam obtento id ſibi porro haberet curæ, vt Albertum perimeret veneno; perfici poſſe ſcelus, ſi aquam, qua in cœnaculo aulico vitra eluerentur, poculaque, inficeret, vel, inita cum ſartoribus aulicis familiaritate ac conſuetudine, veſtibus, quas conficerent, virus inderet præſentaneum. Sed de his poſtea.

arci Moguntinæ, Martinsburg, Burggrauii imponit.

8) Albertus autem, cum interea prouidam arcis Moguntinæ, *D. Martini* appellatione nuper inſignitæ, rationem habere conſtituiſſet, Martis poſt diem D. Bartholomæo in faſtis ſacrum, eidem *Volpertum* de *Schvvalbach*, virum militia, nobilique genere ſpectatum, Burggrauii titulo auctoritateque impoſuit, hac fini, vt eam ille tum inhabitaret, tum omni ſtudio operaque tueretur. Compoſitione enim anno MCCCCLXXX, Lunæ poſt feſtum, vt vocant, viſitationis Mariæ facta, conſtitutum fuit, deligendum ſemper eſſe, qui curam illius ageret, virum cum eximiæ domi nobilitatis, tum ſcientiæ in bello.

Miniſteriales ſibi adſciſcit.

9) Anno ſubſequenti MCCCCLXXXIII ad functiones in aula eminentiores obeundas (*Miniſteriales* vulgo, vernacula *Dienſtmannen* vocabant) ſibi adſciuit *VVilhelmum* de *Scharpfenſtein*, *Ioannem* de *Sörgenloch*, dictum *Genſefleiſch*, *Iacobum VVinther* de *Rüdisheim*, *Henricum* de *Staffel*, *Ioannem* de *Knebel*, *Ioannem* de *Breitbach*, *Ioannem* de *Scharpfenſtein*, *Henne* de *Hohenvveiſſel*, *Fridericum* de *Rüdisheim*, *Gobel Kranch* de *Lambsheim*, & *Iacobum* de *Hoenſtein*, omnes & generis & virtutis opinione claros.

Erfordienſes pecunia multat.

II Erfordienſes cum aliis de cauſſis, tum vero quod monialium in *S. Cyriaci* monte cœnobium, absque ſua facultate, in vrbem tranſtuliſſent, arcemque ibidem ædificaſſent, ad luculentam pecuniæ mulctam coegit.

1) Vid. *Gudenus* hiſtor. Erfurt. lib. III § IV p. 161 & ſeq. qui hic omnino legi meretur. Addere iuuabit, rem Amorbaci compoſitam Lunæ poſt purificatæ ſemper puriſſimæ Virginis ferias; mulctæ vero quadragies mille florenorum, ciuitati impoſitæ, dimidiam partem, teſte apocha, ſtatim Mercurii poſt dominicam, quæ *Reminiſcere* dicitur, perſolutam. Ceterum vix dubites, quin inter cauſſas illas alias, ad quas digitum intendit auctor, referendæ veniant inſidiæ, Alberto, vt dictum, ſtructæ.

miſſis legatis, Vicedominum deſignatum ibidem in officium immittit,

2) Interim miſſi Erfurtum legati, *Bertholdus*, Comes Hennebergenſis, ædis maioris Decanus, *Ludouicus* Iſenburgius, Comes Büdingenſis, *Gerhardus* ab *Ehrenberg*, *Adolfus Rau* de *Holzhauſen*, iunior, vterque Canonicus Moguntinenſis, *Emericus* de *Reiffenberg*, aulæ Præfectus, *Georgius Hell*, D. Cancellarius, & *Eobaldus VVymar*, Alberti a ſecretis; qui die Mercurii poſt dominicam *Oculi* proxima, vna cum *Gunthero Milvviz*, Vicedomino, *Ioanne Funck*, Sculteto, & Scabinis, in curiam Archiepiſcopalem ſe contulere: quo cum veniſſent, Cancellarius infra gradus ſub fornicibus, magna populi multitudine circumſtante, dictum *Guntherum* de *Milvviz* publice inauguraut, ordine perſe-

Solme & Schurburg permutat.

rens ac ad vniuerſos denuntians, Albertum illi Vicedominatus officium commiſiſſe.

3) Poſt ferias paſchales, permutatione cum *Reinharto* de *Neyperg*, Ordinis Teutonici Magiſtro, facta, *Schurberg* arcem & *Solme* oppidum Ordini fratrum Teutonicorum permiſit; ipſe viciſſim arces *Protſeldam* & *Neuenbrunn*, cum locis contributis, accepit. Adiecta conditio, vt domum hoſpitalem Protſeldæ ſartam ſemper ſeruaret tectamque, prouiſoremque, qui curam illius vsque huc egerat, in officio toleraret, nec, niſi eo morte intercepto, alium conſtitueret. Ex parte *Alberti*, dum de permutandis hiſce locis agebatur, aderant Conſiliariorum nonnulli; ex parte *Reinharti* vero, *Georgius*, Comes Hennebergenſis, Mergenthemii, *Nicolaus* de *Mulhuſen*, Moguntiæ, Commendatores, & *Herbordus Thielen*, Secretarius.

de inſidiis ſibi ſtructis curatius examen inſtituit,

4) Quam ſubdole Erfurtenſes, cum Albertum delinire ſtuderent, egerint, *Gudenus* l. d. p. 161 & ſeq. pluribus exponit. Quod cum ipſe, re comperta, non poſſet non ægre ferre, ſine dubio adductus fuit, vt de inſidiis ſibi ſtructis curatius inquirendum ſtatueret. Et cum ad facinoris diſquiſitionem intereſſet adeſſe quamplurimos, litteris Moguntiæ Iouis poſt ferias B. M. V. Eliſabetham inuiſenti

ſacras, Palatinum, Saxonem, & Brandenburgenſem, Principes Electores, Epiſcopum item Herbipolenſem, & ex ciuitatibus Norimbergenſes, Francofurtenſes, & Vormatienſes rogauit, vt quisque duos e ſuis Seligenſtadium ad diem Lunæ poſt vinculorum Petri memoriam mitteret, qui examini interſint.

qui interfuerint; Adfuere, cum illuxiſſet deſtinatus dies, a Palatino *Balthaſar Forſtmeiſter*, Eques; a Saxone, *Fridericus* de *Hopſgart*, Eques, & *Bernhardus Marſchall*; a Brandenburgenſi, *Albertus* de *Bibra*; ab Herbipolenſi, *Oſwaldus* de *VVeyler* & *Carolus* de *Grumbach*; a Norimbergenſibus, *Vlmannus Stromer*; a Francofurtenſibus, *Arnoldus Holzhauſen*, & *VVickerus Froſch*, iunior; a Vormatienſibus, *Georgius* ab *Hemſpach* & *Ioannes VVolff*; ab Erfurtenſibus miſſi aduenerant D. *Laurentius Schaller*, & *Dietericus* von *der Sachſſen*; ab Alberto denique *Ludouicus* & *Ioannes*, Comites Iſenburgico-Büdingenſes, *Emericus* de *Reiffenberg*, aulæ Magiſter, *Georgius Hell*, dictus *Pfeffer*, D. Cancellarius, *Georgius Brendel* ab *Homburg*, Vicedominus Aſchaffenburgenſis, & *Ioannes* de *Cronberg*, Eques.

quæ reus faſſus ſit; Quibus conſidentibus reus, iureiurando prius conceptiſſimis verbis dicto, faſſus eſt, ſibi nomen eſſe *Ludouico*, quamuis primum ſe *Carolum* vocari dixerit; cognomen vero *Bonnigke*; patriam eſſe villam Toberwiz. Monitus, vt quæ ante faſſus eſſet, iteraret, dixit, ſe Grimmæ in *D. Auguſtini* nomen, iuraque conceſſiſſe, & conſtitutum eſſe in ordine ſiue gradu Diaconorum: Grimma deſcendiſſe Erfordiam, & cum in clauſtro Carthuſienſium aliquandiu egiſſet, religionis pertæſum ex aſceterio ſe proripuiſſe, depoſitoque habitu monaſtico aliquot dies in vrbe ſubſtitiſſe. Compellatum tum a quopiam, conſultumque, vtrum linguam haberet in poteſtate? quod cum affirmaſſet, ab eodem rogatum, vt Moguntiam ſe conferret, ac omni in id ſtudio incumberet, vt Marchionem Miſnenſem iuniorem *(den iungen Herrn von Meiſſen)* vel cibo vel potu veneno infectis perimeret; pecuniæ affatim pro hac opera accepturum. Quam cum pollicitus eſſet, *Ioannem Bock* ſibi arrhaboni dediſſe quatuor florenos aureos; addito Senatus nomine mandato, operam daret, vt ad feſtum Corporis Chriſti Moguntiæ eſſet: aduenturos quosdam Erfurto; hos expectaret; tum vero id ageret, vt vna cum iisdem ad ſeruitia reciperetur aulica. Hic ſe, pecunia accepta, lingua quidem promiſiſſe, curate ſe hæc omnia facturum; vti vero facere, animo nunquam intendiſſe. Interrogatus, an tormentis coactus hæc pridem confeſſus eſſet? reſpondit, quæſtioni ſe haud fuiſſe ſubiectum, ſiue tortoribus, vt vera fateretur, in cruciatus traditum; ſubiiſſe quidem, dum in vinclis fuiſſet, carnificem; ſed, præter quod loris crura vincto conſtrinxerit, tormentorum aliud nil minitatum. Iterum monitus, ne peieraret, vel falſi quid ementiretur; regeſſit; quæ dixiſſet, morte ſe obſignaturum ſua. Sed de his ſatis. Edit. I p. 878

Ciuitatibus quibusdam in Sueuia pacē parat; 5) Vti vero optimus hic Princeps natura ipſa duce tranquillitatis publicæ ſtudioſus admodum erat, ita non longe poſt Steinhemii pacem conciliauit ciuitatibus *Vlmenſi*, *Gemundenſi*, *Memmingenſi*, *Leutkirchenſi*, & *Iſnenſi* cum *Henrico Rud de Collenberg*, Beneficiario Moguntino; qui iniuriam parenti *Eberhardo* ab eisdem illatam multo iam tempore armis vltum iuerat. Cenſuit autem, trecentos florenos *Henrico* a ciuitatibus ſatisfactionis loco pendendos; prout e tabulis ſabbato poſt Ioannis Baptiſtæ decollati memoriam ibidem confectis fuſius patet.

Reliquias D. Ruſi Odernhemii bis quotannis religioſe exponi concedit. 6) Ceterum eodem hoc anno reliquias *D. Ruſi*, quæ *Odernhemii* in æde parochiali reconditæ dicuntur, bis quotannis ad cultum piorum exponendi incolis Odernhemenſibus facultatem dedit. Docent id tabulæ publicæ tum *ipſius*, tum *Odernheimenſium*, tum *Cuſtodis* atque *Capituli metropolitani*. Illas ad verbum legere eſt in codice Diplomatico; has vero, quantum huc faciunt, addere non ab re erit. Odernheimenſes poſt Alberti deceſſum ſic; *VVihr die Buhrmeiſter vnd Kirchengeſvvoren der Pfarrkirchen zu Odernheim — bekennen, — als der Ehrvvurdigſt in Gott Vater, Her Albrecht, etvvan Adminiſtrator des Stifts zu Menze, vervvilliget hat, des lieben Helligen* Sant Rufus *begrebnis vnd beheltnis des iahrs ſehen zu laſſen, vnd der izige vnſer gnädiger Her von Menz auch zugelaſen hat* &c. Cuſtos vero Capitulumque: *VVir* Ruprecht *Graf zu Solms, Cuſtos — bekennen — als der Ehrvvürdigſt in Gott Vatter vnd Herr, Albrecht, etvvan Adminiſtrator des Stifts zu Menze — durch gleublich erfarunge vnd vntervviſung, vnd auch mit zitigem vorraide vervvilliget vnd zugelaiſen hat, des lieben Helligen* Sant Rufus *cörper vnd lychnam, der in der Pfarrkirchen zu Odernheim raſtet vnd begraben lygt, zvveimal im iar, nemlich vf der Kirchvvienge tag, vnd ſo derſelbe liebe Hellige daehienen bracht vnd kommen iſt* &c.

Moritur. III Magnam magnarum rerum ſpem oſtendebat: ſed flos fuit ille caducus. Nam adoleſcentem tam egregiis corporis animique dotibus ad maxima effloreſcentem primo amœniſſimi menſium Maii die præmatura decerpſit mors anno MCCCCLXXXIV, prout eius monumenti ſaxum, in æde maxima, ſic:

Hic manet reliquum Reuerendiſſimi Domini Adelberti, Adminiſtratoris Moguntini, optimi atque innocentiſſimi adoleſcentis, qui vt omni applauſu eſt ingreſſus, ſic Patrum, populique mœrore carnem feliciſſime ſoluit anno ſalutis 1484 *Kalendis Maii.*

1) Et

Aschaffenburgi; 1) Et spiritum quidem Deo reddidit Aschaffenburgi. *Fabricius* origin. Saxonicar. lib. VII p. 792, *Müllerus* annal. Saxonicor. p. 49, febri oppressus acuta, vt *Bruschius* in catalogo & *Dieffenbachius* habent.

sepelitur Moguntiæ, 2) Tumulatus est ad latus Dietheri, testante id lapide sepulcrali; in quo insculpta insignia Saxonica, cum rota Moguntinensi; inscriptione vero, quæ addita fuit, sic detrita, vt legi amplius haud possit.

coheneſtatus monumento. 3) Monumentum vero, de quo auctor, est ad columnam, in ichnog a phia littera I signatam, & ita habet: Lapidi insculptus Albertus, stans, cum calyptra & pluuiali tantum (*einer Chor-kappe*) nec non baculo in manu: adiecta, quam auctor attulit, ἐπιγραφῆ.

BERTHOLDVS.

I

DE ipso ita orditur narrare MS; *Bertholdus Comes de Henneberg de Rombeldt, maioris ecclesiæ Moguntinensis Decanus, vir consilio valde prudens, ore facundissimus, opere præcipuus, memoria tenacissimus, statura procerus, & elegantis formæ, vnanimiter est electus XX die mensis Maii, quæ fuit quinta feria post Cantate; ob cuius electionem populus primum quidem territus est, ob eius animi rigorem, quem antea præ se tulerat, sed postea, cum mitissimus appareret, valde gauisus fuit. Erat etiam omni tempore pacificus, & in omni Germania pacis semper omnimodis procurator. Cuius etiam prudentia Maximilianus Rex in arduis quibusque negotiis plurimum vsus est.*

qua familia ortus fuerit. 1) Familia Bertholdus *Aschacho-Hartenburgica*, quæ vulgo etiam *Rômhildensis* dicebatur, fuit ortus; patre natus *Georgio*, matre *Ioannetta*, maioribus ceterâ illustrissimis; quorum quidem memoriæ, maiorisque lucis caussâ sequens schema placet apponere.

* * * * *

fit Decanus maioris, 2) Decani dignitatem consecutus est anno MCCCCLXXIV, *Richardo* de *Oberstein*, qui ista sese abdicabat, succedens. Vid. *Helvvichii* elenchus nobilitat. ecclesiæ Mogunt. sect. II p. 16, *Syllabus* noster *plenior* sect. II p. 304.

eligitur Archiepiscopus 3) Vicesima mensis Maii die, quæ feria quinta post dominicam *Cantate* fuit, Archiepiscopum designatum fuisse, ex vero narrat, quem auctor adducit, MS. Firmatur enim id litteris Collegii metropolitani ad Præfectum Moguntinum, castri item, vulgo *Martinsburg* dicti, Burggrauium, ipsamque ciuitatem Moguntiam datis, quibus iubet, vt Bertholdo de more sacramentum dicant; quippe sic ibi: *Daſs vvir vff hute datum den Hochvvürdigen Fürſten in Got Vatter vnd Herrn, Herrn* Bertolden *Graven vnd Heren zu Henneberg, vnſern Dhumdechant, zu einem künftigen Erzbiſchoff vnſers Stifts zu Menz ervvelet* — Datæ autem sunt Iouis post *Cantate.*

palliũ petit & accipit. 4) Præsul electus huc primum curas vertit, vt a Pontifice muneris adipiscerętur procurationem, ac, insigne istius, pallium. *Bernhardum* itaque de *Breidenbach*, Canonicum maioris & Iudicii sæcularis Camerarium, virum vt nobilitate & imaginum splendore conspicuum in paucis, ita virtutum ornamentis plusquam vulgaribus, Romam proficisci iussit, postulatum, vt dignitatem sibi collatam sua *Innocentius* confirmaret auctoritate. Qui cum caussam peroraſſet, Pontifex ante iam certior factus, qua virtutis religionisque fama esset Bertholdus, libens annuit, eidemque auctoritatis litteras vna cum pallio transmisit. Et *illarum*, & *istarum*, quæ de pallio agunt, apographum reperire est in codice Diplomatico.

Simul vero residuum pecuniæ, occasione indulgentiarum a Fr. *Emerico*, Ord. Minorum, promulgatarum collectæ, in vsum & fabricam ædis, quæ Moguntiæ est, principis, litteris peculiaribus, quas itidem in dicto legas codice, concessit iuxta atque donauit.

cum Treuirensi transigit & fœdus facit. 5) Ipse interea Renæ, iuxta sedem regalem, Lunæ post ferias D. Virgini ad Elisabetham inuisenti sacras, cum *Ioanne*, Archiepiscopo Treuirensi, & de pecunia, illi olim ab Adolfo addicta, transegit, & amicitiæ, societatisque fœdus pepigit; quo quidem rebus suis haud parum consuluit. Eo namque *Ioannes* pollicitus est, si Bertholdus a quopiam, vel etiam pluribus, siue Principes sint, siue ciuitates, bello impeteretur, se monitum omnibus ipsi viribus auxilio venturum, opemque laturum, donec hostis copias suas in hi-